



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

Capvt XV. Amicos, & fratres Christi Domini, hoc est, pauperes voluntarios,
etiam posterioribus sæculis, plurimos extitisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

*contentus ostendit, cum ille procul dubio ad suū
statum sustinendum pluribus indigeret. Nobis
autem, si non Bithia Misij adsint talenta, & in-
gera tot terra, pascuāq; ac greges innumerabi-
les, nulla satietas est. Quantum ergo ostendi-
mus nos dissidere à Deo, si tantis ipsi nos fa-
temur indigere?*

C A P V T XV.

*Amicos, & fratres Christi Domini, hoc
est, pauperes voluntarios, etiam poste-
rioribus saeculis, plurimos ex-
stitisse.*

§. I.

Pauperes esse amicos Christi.

*Quoniam autem homo, quantum-
cumque allaboret à se terrena om-
nia abdicare, tamen adhuc in-
finitis, à diuina perfectione, modis distat,
semper enim adhuc multis indigebit, idcir-
co, Deus, cui accedere ad perfectionem ni-
hil poterat, homo factus est, vt imperfecti-
ones quasdam hominis assumeret, atque ci-
bo, potu, veste indigeret, quibus quàm mo-
deratissimè vtendis, nos frugalitatem edo-
cuit. Quamobrem, teste S. Bonauentura,
S. Fran-*

S. Franciscus Aiebat socijs: Dum pauperẽ vi-
 des, ò frater, speculum tibi proponitur Christi:
 ipseq; in pauperibus omnibus Christi effigiem
 contemplantur. Quare sicut homo ratione
 præditus ad imaginẽ & similitudinem Dei
 est creatus, ita homo paupertate ornatus,
 ad imaginem & similitudinem Christi est
 factus. Idcirco se exinaniuit, vt nos eius ex-
 emplo conformaremus. Ad hunc ergo
 paupertatis magistrum, qui proximè acce-
 dit imitatione, ita se Deo probat, vt eum
 non jam seruum (quæ tamen magna di-
 gnitas est, cum seruire Deo, sit regnare) sed
 amicum, sed fratrem, sed imaginem Dei vo-
 cet. Cornelius, inquit Phrinicus, à secre-
 tis Imperatoris, est nomine tenuis, sed ei vsque
 adeò est in amoribus, vt reipsa Imperij particeps,
 & collega haberi debeat. Ad eundem mo-
 dum, qui Christum sequuntur, serui Christi
 sunt nomine tenuis, reipsa amici. Vos amici
 mei estis, inquit, si feceritis, quæ ego precipio
 vobis, multò magis, si feceritis, quæ ego
 consulo vobis. Iam non dicam vos seruos:
 quia seruus nescit, quid faciat dominus eius.
 Vos autem dixi amicos: quia omnia, quacumq;
 audiui à Patre meo, nota feci vobis. Inter quæ
 arcana est amor paupertatis. Siquidem

in vita S.
 Francisc.
 cap. 8.

Phrinic.
 in princi-
 pio Egl.
 Attic.

apud Ale-
 xandr.

Pellegrini
 in c. 12
 Matth.

Paradoxo

1. Ioan,
 15. 14.

non omnes capiunt verbum hoc. Qui autem capiunt, ex seruis transeunt in numerum amicorum. An non quaestiuosa est seruitus, cui amicitia pro mercede est? Longè alia seruitus est Mundi & diuitiarum, ea enim facit ex amicis seruos. Ita enim contigit Dauidi, cui ob illustres de Amalecitis, de Gessuri, de Gerzi, relatas victorias, rex Gethæus, vt aliquam grati animi significationem exhiberet, dixit: *Erit igitur mihi seruus sempiternus*. O ingratum regem! ô barbaram aulam! Ergone ob tot labores, ob tanta pericula contempta, ob hostes debellatos, ob spolia & gloriam à tantò amico relatum, seruitus promittitur, eaque *sempiterna*! Autumabam cum Dauide spolia & prædas, titulos & honores diuidendos: expectabam coronas & triumphos: censebam amicitiaæ fœdera ineunda: sed, vt video, pro tot meritis, seruitus stabilitur, & seruitus diuturna, immo sempiterna. Ita nimirum oleum & operam perdit, quicumque mundo industriam, laborem, sanguinem, vitam impendit, & heu nimis verè seruit. At non ita Christo seruitur: eum, qui domo, agro, alijsque, quæ possidebat, relictis, sequitur, de seruo fit amicus, cui Dominus omnia communicat,

1. Reg. 27.
22.

municat, consilia, arcana, ipsum regnum, cælorum, atque æternorum bonorum hæreditatem; quia amicorum communia sunt omnia. Usque adeò, ut eos Christus etiam Rom. 8. suos *coheredes* esse patiatur. Quid ni *coheredes*, si & fratres dignatur appellare? 18.

§. II.

Pauperes esse non tantum amicos, sed etiam fratres & familiares Christi.

Dignatur autem pauperes ita appellare, immo dignabitur ita appellare, coram uniuerso mundo, tunc cum venerit in maiestate uniuersum mundum iudicaturus. Cum enim interrogabunt iusti: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? &c.* respondens rex dicet illis: *Amen dico vobis, quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Minimi sunt pauperes, miserum & plebeium genus. Hos rex ille, cum summo apparatu & pompa veniens, *fratres* suos vocabit, cum nihil regio splendori sit magis aduersum, quam habere *fratres* fame atque egestate pressos; regis *fratres*, regios, atque victu, vestituq; claros esse oporteret. Eruditè Origenes: Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? *Immo verò*

Matth. 25. 37.

Origenes tract. 34. in Matth.

A a s

ideò

ideò fratres, quia humiles, quia pauperes & dilecti. Hos enim maximè ad fraternitatem conuocat suam, quia ignoti & despicabiles sunt. Cùm enim seiplos, propter Christum, despexerint, abiecerintque, digni sunt, qui a Christo extollantur. Hæc iustitia est, ut nos humiliemus: cùm & Dominus baptizatus à Ioanne, præ reuerentia cunctante, dixerit: *sine modò: sic enim decet nos implere omnè iustitiam*: prudentia autem est, fugere iniquitatis occasionem. Hinc Propheta ait: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatè; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo letitiæ, præ consortibus tuis*. Per unctionem regnum dabatur Hebræis. Regè igitur constituit Deus, quem ideò ungit, quia videt, diuitijs abiectis, fugere periculum iniquitatis, & diligere iustitiam humilitatis: unde præ consortibus, qui paupertatem non amant, ungitur, sicut & Christus unctus est præ consortibus, ac fratribus suis; etsi enim & hi regno inaugurati sint, Christi tamen principatus est diuini fastigij. Itaq; pauperes non solum sunt amici, sed etiam fratres, sed cohæredes Christi, immo & reges, & quidem tales reges, ut eis semper maiorem exhibuerit & amicitiam, & familiaritatem. Quod ostendit

Matth. 3.
15.

Psal. 4.
48.

dit vel cum ipse reus ageretur, ante Caiphā principem sacerdotum constitutus. Tunc enim cum & iudex, & omne concilium, & duo falsi testes multa contra eum molirentur, surgens princeps sacerdotum aiebat illi: *Nihil respondes ad ea, quae isti aduersum te testificantur? Iesus tacebat.* Atque postea etiam ante Pilatum cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. *Imò urgente Pilato & dicente: Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia? non respondit ei ad vllum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer.* Quin & ad Herodem a Pilato missus, tacuit. *Erat enim Herodes cupiens ex multo tempore videre eum, eò, quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.* En quantis dominis, & potestatem iudiciariam in eum habentibus non dignatus est loqui? at pauperculo latroni, & in cruce pendenti, ipse in cruce pendens, quàm primùm audiit: *Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum,* illicò respondit: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in Paradiso.* Nimirum cum simplicibus sermocinatio eius; quia isti apud eum sunt nobiles, isti eius

Matth.
26. 62.

Matth.
27. 12.

Luc. 23.
10.

Luc. 23.
43.

Prou. 5
21.

sunt

sunt dynastæ, isti eius amici, fratres, reges; secus ac in sæcularibus aulis fieri consuevit, ubi Principes cum principibus, purpuratis cum purpuratis, cum torquatis, & nobilitate claris tantum volunt sermones miscere. Alios nobiles habuit Christus cum quibus est locutus, cum piscatoribus, cum Zachæo, Matthæo & publicanis pœnitentiam agentibus, cum lachrymante Magdalena; immo cum cæcis, & leprosis in via medicantibus; quin & cum ipso latrone veniæ petente fuit sermocinatio eius. De quo Arnoldus Carnotensis, *Modò, inquit, ultra eloquitur, qui paulo antè ad Herodis & Pilati inquisitiones conticuit; curiositatem & fastum tumentium hominum aspernatus; pauperes spiritu de patibulo edocet. Adeò chari sunt Seruatori, quibus argentum non est charum.*

§. III.

Amorem, & votum paupertatis in primitiua Ecclesia extitisse.

Hinc non solum Christus & Apostoli, verum etiam alij, post eos, amplexi sunt, ingenti numero, ardenti studio paupertatem. Nam in primitiua Ecclesia multi proprietatem & dominium abdicauerunt, etiam ex voto, *nec quisquam eorum, quæ possidebat,*

Arnold.
Carnot.
de 7. ver-
bis Do-
mini in
cruce.

Act. 4.32.

bat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quod sanè fecerunt primi Christiani Hierosolymis dumtaxat, atque ex consilio, non præcepto, ut voluerunt hæretici veteres, ab æmulatione vitæ Apostolicæ Apostolici dicti, quos, tempore D. Augustini, secutus est Pelagius, & nunc Anabaptistæ. Contra quos apertè testatur S. Paulus, & S. Ioannes, in alijs Gentium prouincijs, quibus prædicabat Paulus, Christianos, proprias opes & fundos possedisse: nam ex ijs collectas fieri, pro pauperibus Hierosolymitanis, iuebant. Interim multi fuerunt, posteris sæculis, qui heroicum illud Hierosolymitarum exemplum sequebantur. Audierunt enim à Christo & Apostolis illam beatitudinem primo loco collocatam: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorum.* Et quidem post sæculum martyrum (qui utiq; & ipsi opes contempserunt, cum & sanguinem & vitam ipsam pro Christo profuderint) quod fuit ante Constantinum Imperatorem, postea sub Constantino, in pace Ecclesiæ, successit sæculum Monachorum & Anachoretarum, quorum dux & antesignanus fuit S. Antonius. Huius vitam à se concinnatam S. Athanasius secum Romanam

2. Cor. 8.
& 9.

1. Ioan. 3.
17.

Matth. 5.

mam

S. Hiero-
nym. in
Epita-
phio S.
Marcellæ.

Idem ep.
150. ad
Hedibiã.

mam detulit; eaque multos Romanos
uites & potentes ita commouit, ut eam
ipsi vellent imitari. Inter quos prima fuit
Marcella, teste S. Hieronymo. Quæ ut, per
spontaneam paupertatem, terrenarum re-
rum amore extincto, diuino rerumque ca-
lestium amori locum faceret, etiam sibi di-
ctum putauit, quod postea ad Hedibiam D.
Hieronymus in hæc verba scripsit. *Vis esse
perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis
fac, quod fecerunt Apostoli: Vende omnia, quæ
habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem,
ut nudam solamque crucem nuda sequaris & so-
la. Non vis esse perfecta, sed secundum vis re-
nere gradum virtutis? dimitte omnia quacumque
habes, da filiis, da propinquis.* Hoc Hedibia
suasit S. Pater, illud S. Spiritus S. Marcella
persuasit.

§. IV.

*Gallicani, Alexij, Calebyta, Paulini, Panie, &
Pammachij voluntaria paupertas.*

Sub idem tempus Gallicanus Constan-
tiaz sponsus, & Constantini Magni gener
destinatus, ac Romanus Consul, amore
Christi Seruatoris, mundo nuncium remisit,
relictisque omnibus, ad Ostia Tiberina, ho-
spitale edificauit, in quo ipse pauper pauper-
ribus

ribus & agris seruebat : vtque altiore coronam mereretur , postea à Iuliano Apostata occisus , paupertatis studium martyrij laurea condecorauit. Quæ eloquentia satis laudauerit Alexium Euphemiani senatoris filium ? qui Romæ sub Honorio Imperatore, patricius sanguis, indolem, ingenium, opes, iuuentutem, virtutem cum nobilitate coniunxit, honestissimo insuper conubio beatus , sponte tamen ipsâ etiam sponsâ intactâ primâ nuptiarum nocte, omnia reliquit ; atque ita reliquit, vt distributis, quæ habebat, in pauperes, de die in diem viueret ; & , post septemdecim annos in Syria consumptos, in patria exularet, inter notos ignotus, in suis opibus inops, domi non domi, seruatorumque suorum ludibrium ; parentibus tandem venerandus, mundo admirandus, æqualibus imitandus. Nam & Ioannes Calybita , Romæ sub Imperatore Leone, in paternæ domus angulo pauper latitauit , nec ante mortem à parentibus est agnitus, in quo itidem virginitas & paupertas de palma certauerunt. Sed his etiam annumerandus, ob paupertatis amorem, S. Paulinus, ex Consule Romano monachus, tandemque creatus Episcopus Nolanus. In primis

Petrus in
Catal. l. 6.
c. 107.
Sur. 17.
Iulij.

Niceph.
L. 19. hist.
c. 23.
Sur. 15.
lan.

primis autem D. Hieronymus, qui cum S. Paula in Bethlehem secessit, secumq; traxit magnam nobilitatem Romanam, quæ paupertatem insigniter nobilitauit. Cuius Paula admodum fuit studiosa, atque omnes fortunas suas, quæ erant amplissimæ, ita egenos distribuit, vt neque obolum sibi relinqueret, & in aliena sindone sepeliri preoptaret: quod & euenit, nam aliena veste sua virtute tecta, est sepulta. Matrem secuta est filia Eustochium, & ceteræ. Quin & gener Pammachius, qui itidem Consul Romanus, fascibus depositis monasticen amplexus est, domumq; suam in Ecclesiam conuertit, quæ etiamnum titulo S. Pammachij inscripta visitur, & nuncupatur S. Ioannis & Pauli. Hunc idem, qui amore paupertatis inflammavit, S. Hieronymus dignis etiam laudibus extulit. *Nobis, inquit, post dormitionem somnumq; Paulina (uxoris Pammachij) Pammachium monachum Ecclesia peperit Posthumum, & patris & coniugis nobilitate patritium, eleemosynis diuitem, humilitate sublimem. Et paulo post: Quis hoc crederet, vt consulum pronepos, & Furiani germenis decus, inter purpuras senatorum furua tunica pullatus incederet, & non erabesceret oculos*

S. Hiero.
nym. ep.
ad Pam-
machiū.

oculos sodalium, ut deridentes se derideret? Lu-
cet margaritum in sordibus, & fulgur gemma
purissima etiam in luto radiat. Ac rursus: Nunc
omnes Christi Ecclesia Pammachium loquun-
tur, miratur orbis pauperem, quem hucusque
diuitem nesciebat, &c. Parua dimisimus, &
grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi
promissa redduntur. Hæc Romani fecere:
& pluribus verbis in Pammachio S. Pater
prædicauit.

§. V.

S. Ioannis Eleemosynarij excellens pau-
peritas.

Quantum amata sit paupertas à Ioanne Leontius
Eleemosynario, vel è paucis ostendam. Au- in vita Io
dierat quidam opulentus & liberalis do- Eleemo-
minus, eum exiguis admodum ac vilibus synarij.
operimentis in cellula sua vti, rei q; expe- cap. 20.
rtendæ causa in rem præsentem venit. Vbi
vidit lodicem & vetustam, & scissuris lace-
ratam, aliam ei triginta sex nummis em-
tam misit, rogitans etiam atque etiam, vt
ea in mittentis memoriam vteretur. Acce-
pit munus cum actione gratiarum, & vni-
ca nocte se melius regens, peius dormiuit.
Nam ea tota nocte, qui ei à cubiculis erant,
audiebant eum ita secum loquentem, *Quis*

Bb

dicit,

dicit, quod humilis Ioannes (habebat enim
semper verbum istud in ore) pallio triginta sex
numismatum tegatur, & fratres Christi frige-
re necentur? Quanti sunt modò, qui dentibus
strident pra glacie? quanti sunt modò qui psal-
terium (tegetem siue stoream ex iunco aut
papyro confectam, qua pro lecto & fra-
gulo utebantur monachi Aegyptiaci) haben-
tes, subtus dimidium, & supra dimidium &
non possunt extendere pedes suos, sed dormiunt,
ut glomus, trementes? Quanti in monte dor-
mierunt incenati, & sine lucerna, habentes du-
plicem cruciatum, tam ex frigore, quam ex ie-
iunio? Quanti desiderant saturari de folijs ole-
rum, qua prociuntur de coquina mea? Quan-
ti vellent tingere panem suum in Zemate, (id est,
fermento, aut face, vel iactura aquarum in
qua carnes sunt coctae) quod prociunt coqui
mei? Quanti cupiunt vel odorari vinum, quod
funditur in cellarario meo? Quanti sunt in ciui-
tate ista, in hac hora, peregrini, non habentes
ubi hospitentur? & in foro iacent, fortasse &
pluvia madefacti? Quanti, putas, habent tri-
tum mensum, vel etiam duos, non gustantes ole-
um? Quanti sunt, qui non habent alterum ve-
stimentum, in aestate, & alterum in hieme, &
ita miseris affliguntur? Tu verò expectans eti-

am aternam incunditatem assequi, & vinum
 bibis, & pisces immanes deuoras, & in cubicu-
 lis demoraris: modo autem cum omnibus malis,
 & in coopertorio triginta sex numismatum te
 calefacis. Veraciter ita viuens, & in tali laxa-
 tione conuersans non expectabis illic preparatis
 gaudijs frui, sed audies utique, quod & diues ille
 audiuit: Recepisti bona, in vita tua, pauperes
 verò mala: nunc ergo consolantur, tu verò cru-
 ciaris. Benedictus Deus, humilis Ioannes alia
 nocte non cooperietur illo. Iustum est enim, &
 bene acceptum Deo, ut tegantur centum potius
 quadraginta quatuor fratres, & DOMINI
 tui, quam tu, infelix. Venumdabantur enim
 quatuor rachanella (seu panniculi) numismate
 vno. Mox ergo transmisit illud in crastinum,
 ut venumdaretur. Et videns is, qui obtulerat,
 emit illud triginta sex numismatibus, & rur-
 sus obtulit Patriarcha. Cùm verò in crastinum
 vidisset illud, emit hoc similiter, & rursus obtu-
 lit Patriarcha deposcens, ut tegetur ab eo.
 Cùm autem tertio hoc fecisset, dicit ei gratula-
 bundus ille sanctus: Videbimus, quis deficiet,
 ego, an tu. Erat enim opulentus valde, & sua-
 uiter quasi vindemiabat eum ille sanctus, paula-
 tim ab eo multa auferens: & dicebat semper,
 quòd posset aliquis intentione dandi pauperibus

expoliare divites, & ipsum etiam hypocamifitium
(seu vestimentum, quod subtus camisiam
est) ab eis benevolè auferre, & non peccare: &
maximè si sunt aliqui inanisericordes & avari.
Duo enim lucratur talis: unum quidem quia
animas illorum servat; alterum autem, quoni-
am & ipse ex hoc mercedem non modicam habet.
Hucusque Leontius Neapoleos Cyprorum
Episcopus, veram voluntariæ paupertatis
effigiem, immò & liberalitatis nobis, in-
tanto Patriarcha, ante oculos ponens, Si-
quidem, Hieronymo teste, optimus dispensa-
tor est, qui sibi nihil reservat.

S. Hiero-
nym. in
ep. ad Ne-
potian.

In vit.
PP. lib. 3.
cap. 71.

1. Tim. 6.
8.

§. VI.

Agathonis, Antony, & aliorum paupertatis.
Hinc, ut Ruffinus ait, cum quidam vir ro-
garet Abbatem Agathonem, ut pecuniam illius
susciperet in propria ratione, nolebat ille, di-
cens: Non est necesse mihi, quia opera manuum
mearum me pascunt. Cum autem ille persi-
stens diceret: Vel propter indigentes dignare susci-
pere; respondit: Duplex verecundia est, quia
non indigens suscipio, & aliena prestans, vana
gloria subiacebo. Fuit nimirum Agatho Pau-
lini exempli successor, cuius est illud moni-
tum: Habentes alimenta, & quibus regamur,
his contenti sumus. Fuit & memor illius ora-
culi:

culi: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13. 24

Quod S. Antonius in hunc modum ostendit, in eo, qui pecuniæ quàm non perfectus contemtor esset, retenta parte, declaravit. *Frater quidam renunciãns seculo, & dãs, quã habebat, pauperibus, retinens autem pauca in sua ratione, venit ad Abbatem Antonium. Quod cùm agnouisset senex, dixit ei: Si vis monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cùm sic fecisset frater ille, canes & aves corpus eius lacerabant. Cùm peruenisset autem ad senem, interrogavit, si fecisset, quod ei dixerat. Illo autem ostendente corpus suum laceratum, dixit S. Antonius: Qui renunciant seculo, & volunt habere pecunias, ecce ita impugnatì à demonibus discerpuntur. Mira ergo & misera res est, si qui profitetur, se pecuniam abieciisse, pecuniam sectatur religiosus, atque illis rebus inhiat, quas censuit abdicandas. Vnde D. Hieronymus, *Possideant opes, inquit, sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant; & suspires Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Nepotianus noster aurum calcans, schedulas consecratur: & sicut in carne sui contemtor est, & paupertate incedit ornatio, ita totum**

Ruffin.
l. 3. c. 68i

anima inuestigat ornatum. Quare eundem
superiùs sic laudat: *Nepotianus baltheo posito
habituq; mutato, quidquid castrensis peculij fuit,
in pauperes erogauit. Legerat enim: Qui uult
perfectus esse, vendat omnia que habet, & da
pauperibus, & sequatur me. Et iterum: Non
potestis duobus dominis seruire, Deo & mam
mona. Excepta vili tunica, & operimento paruo,
quo recto tantum corpore frigus excluderet, ni
hil sibi amplius reseruauit.*

§. X.

Arsenij, Mæsima, Iuliani, & aliorum Anachoretarum paupertas.

Pluribus experimentis testatum est, quantum possit diuinæ amor paupertatis. *Egrauit aliquando Abbas Arsenius in Scithi, & opus habuit in necessitate sua usq; ad unam siliquam nummi. Et cum non inueniret, accepit à quodam velut eleemosynam, & dixit: Gratias tibi ago, Domine, quia me dignum fecisti, nomine tuo, ad hoc peruenire, ut egens eleemosynam postularem. Gaudent nimirum Christi imitatores ijs rebus se spoliari, quibus alij ditati exultant. Quin & centonibus magis triumphant milites sacri, quàm profani in paludamentis. Qua de causa Mæsimas neque tunicam voluit, neque cilicium mutare, sed*

Heribert.
Rosveid.
in vitis
PP. lib. 5.
n. 5. libell.
6.

Idem ib.
l. 9. c. 41.

ijs, quæ in eis fiebant, rupturis pannos assu-
ens, senectuti remedium attulit. Iulianus
autem senex, circiter annos septuaginta, in
quodam breui spelæo moratus, nihil omni-
no sæculi istius, præter cilicium, & sagum,
& vasculum ligneum, & librum possidebat.
Hæ diuitiæ fuerunt, & tota supellex Iulia-
ni. Miri etiam author exempli fuit, in hoc
genere, Aphraates, qui nihil unquam omni-
no accepit ab aliquo, non panem, non obsonium,
non vestem, sed unus solus ei notus panem suppe-
ditabat. Cùm autem usq; ad profundum pro-
cessisset senium, post occasum solis, vescebatur
oleribus. Aiunt autem Anthemium, qui postea
fuit & Præfectus, & Consul, cùm electus legatus
profectus est ad Persas, ad eum attulisse tu-
nicam apud Persas contextam, & dixisse: Cùm
scirem unicuiq; suam dulcem esse patriam, &
qui illic nascuntur fructus esse incundissimos,
hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoq; ut
tu eam accipias; ego verò sim tua benedictionis
particeps. Is autem eam quidem primùm insit
poni in subsellio: deinde cùm multi fuissent in-
teriecti sermones, dixit se angi animo, utpote
quòd sit in duas partes diuisa cogitatio. Illo autem
rogante causam, semper, inquit, constitui habe-
re unum solum, qui mecum habitaret, mihiq;

Ibid. libi
10, cap. 51.

Ibidem
l. 9. c. 8.

ipsi hanc legem imposui, ut mihi omnino denegatur duorum simul habitatio. Cùm ergo unus mecum jam sedecim annis habitasset, & esses mihi cordi, accessit quidam meus contribulus, volens mecum habitare, & rogans, ut hoc sibi liceret. Hoc mihi mentem distrahit: duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector, ut contribulem. Priorem autem, ut qui mihi cordi fuerit, expellere, & graue, & iniquum existimo. Ille verò, Meritò, inquit, ò pater, neq; enim fas est, ut eum, qui tibi plurimo tempore inseruijt, amandes, tamquam non aptum; eum autem cuius morum nondum fecisti periculum, propter solam admittas patriam. Ad hac diuinus Aphraates: Non accipiam ergo, inquit, ò vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. Est enim mea quidem sententiâ incundior, tua verò melior eâ, quæ mihi tanto tempore inseruijt. Ad hunc modum veterem ac detritam tunicam suam noua repudiata retinuit Aphraates, non imperitior in docenda, quàm seuerior in exercenda paupertate magister. Ac sanè plures in huius virtutis schola, discipuli excelluerunt, quibus fiducia in Deum, præ omni pecunia, aut re alia fuit. Qualis & ille fuit, cui Patriarcha Ioannes Eleemosynarius centum numismata dare

Leontius
 in vita S.
 Io. Eleemosynarij
 mos. c. 23.

ea dare voluit. Dei autem amicus ille verè monachus, non passus aliquid accipere ex eis, dignum memoria verbum ad Patriarcham locutus est dicens: Ego hoc non postulo, Domine; Monachus enim si fidem habet, horum non indiget: Si autem horum eget, fidem non habet. Quo audito, S. ille Præsul tantò impensius monachos posthac honoravit, multoque maiore animi affectu hospitio excepit.

§. XI.

Religionum fundatores, quanti fuerint amatores paupertatis?

Paupertatem suam in eminentem, & nostro quoque sæculo imitandum perduxerunt fastigium S. Basilii, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Ignatius, & alij quàm plurimi. S. Franciscus hanc virtutem vsque adeò censuit esse ad amandam, ut eam quasi sponsam sibi suisque etiam desponsarit. Et sæpe à fratribus rogatus, *Quanam virtus maximè nos Christo commendaret, gratosque faceret?* cum iubilo respondit: *Paupertas, hæc est enim via salutis, humilitatis fomes, perfectionis radix, qua fructus nobilissimos, eosque multiplices producit, sed occultos, & paucis cognitos.* Huius virtutis amore inflammatus, Romæ ad SS. Petri

& Pauli sepulchrum, cum lachrymis *impli-*
cat *ca* *el* *o* *N* *ra* *ci* *fa* *S* *ti* *t* *i* *c* *q* *o* *l* *e* *l*
 plicans, ut se se thesauro paupertatis in-
 struerent, meruit eos, velut viuos intuenti,
 qui eum addito osculo salutantes dixerunt:
F. Francisce, quia hoc petis, quod Christus &
Apostoli seruauerunt, certiozem te reddimus, tui
desiderium esse exauditum. En thesaurus sancti
paupertatis tibi tuisq, assclis perfecte concedi-
tur: ac quicumq, eum capeissent, de regno bea-
titudinis erunt securi, & à Domino benedicti.
Hinc idem dictitabat. Pauper est typus Christi,
qui propter nos egenus factus est, ut nos sua im-
pia diuites efficeret. Qui ergo pauperi maledi-
cit, Christo maledicit. Ex aduerso pecunia ser-
uis Dei non est aliud, quam diabolus, & coluber
venenosus. Qua de caussa idem S. Franciscus
fratribus suis, pro viatico, illum versiculum
dare solebat: Iacta super Dominum curam
tuam, & ipse te enutriet. Possem hinc adduce-
re domestica, de S. Ignatio, de S. Francisco
Xauerio & Borgia, de Petro Fabro, de Ro-
derico, de Menesio, de Barcæo, de Gonzaga
& alijs, qui heroica virtutis istius facinora
ediderunt, sed alius sibi hos pauperes lo-
cus vendicat; neque vmquam ex hac silua
emargerem, si velem singulos vel strictim at-
tingere.

Pla. 54. 23.

§. XII.

Sanctarum feminarum paupertas.

Alterius tamen sexus, & minoris quoque ætatis libet, in hac laude, mentionem non omittere. Ac ne Marias Ægyptiacas, solo capillitio pallij instar tectas, & radicularum esu pastas; Melanias Romanas immensarum opum contemtrices; Macrinas Gregorio Nysseno fratre dignas, similesque innumeras è cælesti gynæceo huc conuocem, paucis contentus ero. Birgitta vidua à Bonifacio IX. Pontifice Maximo in numerum Sanctorum relata, ac reuelationibus multis illustrata, humilitatis pariter ac paupertatis magistra fuit. *Paupertas voluntaria adeò illi cordi fuit, ut omnes res & facultates suas cuidam commiserit dispensandas: & quoties aliquid inde vel in suos, vel aliorum usus conuerti cuperet, cum summa humilitate, in nomine IESU Christi id sibi dari petierit, perinde ac si numquam eas possedisset. Solebat autem, in eiusmodi petendis rebus, aliorum, qui cum ipsa erant, utilitatem sua anteferre, & propriam celans indigentiam, orare, ut illis preberentur necessaria, licet ipsa plus ceteris ijs careret, ut sic proximum purè diligeret propter Deum. Duo utilissima hinc fluunt documenta, charita-*

Sur. 28
Iulij.

sis

tis vnum, paupertatis alterum. Si enim tantus fuit paupertatis amor, vt vidua haec sanctissima, vel sua, *in nomine IESV* Christus peteret, cur quidam erubescunt, in eodem nomine petere stipem alienam? Gloria est, non dedecus, Christi causa fieri mendiculus. Deinde, etsi sit ordo charitatis, vt à nobis ipsis incipiamus, quibus plus quàm alijs debemus, in rebus id spiritualibus est intelligendum, aut omnino ad vitam necessarijs: ea autem, quibus carere possumus, ventri negare, atque alijs potiùs concedere, non est charitatem offendere, sed carnalitati anteponere. Periculosa enim est charitas, cuticulam propriam curare; certa succurrere alterius necessitati. Reddam hic etiam debitum Elisabethæ testimonium, quæ præclarâ Christiana quæ operâ, vetustate familiæ suæ dignissima, posteris merito venit suspicienda. Fuit ea Andreae secundi Pannoniæ regis filia, & Ludouico Landgrauio Turingiæ Principi enupta, quæ inter opes luxum quæ sæcularis potentia, neque opibus, neque luxu afficiebatur. Quoties ei domi, atque inter domesticos parietes licebat, vilissimum sumebat amictum, more quæ ad pauperularum normam, quoad po-

terat,

Conrad.
in vit. ci-
us. Ful-
gos. lib. 4.
tom. 4.
Marul.
lib. 1, c. 8.

terat, componebat, dictitans, haud aliter se victuram, si quando, extra alterius arbitrium, sibi degere à Deo concederetur. Illud sanè solenne illi erat, vt quoties ad templū iret, non nisi inter infimæ sortis feminas confidendi locum caperet; in oculis omniū professa, desiderare se in illarum numero esse, quarum consortium tam studiosè ambiret. Quare marito per mortem ablato, quidquid possedit, inter pauperes distribuit: & quia opes non magni aestimabat, parui aestimauit fortunas duntaxat se Christi amore impendisse, se etiam seruitio miserorum consecrauit. Hanc ob causam amplum diuersorium ædificauit, in quod grandem pauperum ægrotantium turbam congregauit, cui ipsa, noua Martha, diligenter ministravit. Ab hoc tam pio, sed, vt putabatur, nimis abiecto munere, voluit eam parens in Pannoniam reuocare. Sed illa gnara aestimare pretium paupertatis, regno inopiam præposuit, scepro quouis iudicans pretiosorem esse Christi seruitutem. Ob quam virtutem eam Deus inter sanctos suos esse voluit, clarissimisque miraculis, per eam patratis, testatus est, eam rectè atque sapienter egisse. *Quia melius est medicum iusto, Psal. 36.*

Super

In vita S.
Euphra-
sæ, apud
Rosveid.
l. 1. vit.
SS. PP.

super diuitias peccatorum multas. Euphrasæ, pietatis odore tracta, sæpius quoddam ce- nobium sacrarum virginum visitare solebat. Quodam die rogabat Abbatissam & priores mo- nasterij dicens eis: Paruam benedictionem vobis absq; terrore vestro præbere, redditum auri viginti, aut triginta librarum, ut oretis pro ista famula vestra, & pro Antigono patre eius. Cui Abbatissa respondit: Domina mea matrona, ancille tue non egent redditibus, neque pecuniam concupiscunt. Propterea namq; omnia reliquerunt, & cuncta despiciunt in hoc seculo, ut æternis bonis frui mereantur: & nihil possidere volunt, ne caelesti regno priuentur. Verè virilis & generosi animi femina, quæ dum possessiones potuit contemnere, Deum possedit. Generosi enim magniq; animi est, nihil admirari, præter Deum, ait S. Cyprianus.

§. XIII.

S. Clara paupertas.

Huic heroidi par fuit S. Clara, quæ cum esset nobilis & opulenta, sua omnia distribuit in pauperes, Ordinemque pauperum Religiosarum instituit. In qua paupertatis spiritus, quæ vera humilitas est, & paupertatum rerum omnium conueniebat. Primus, inquit author vitæ iussu Alexandri Pontificis Maximi

Sur. 12.
Augusti
cap. 9.

ximi conscriptæ, in sua conuersionis initio, paternam hereditatem qua ad eam peruenerat, distrabi fecit, sibiq; de pretio nihil reseruans, totum pauperibus erogauit. Hinc, saculo foris relicto, mente intus ditata, post Christum, sine saculo, exonerata, percurrit. Tantum deniq; cum sancta paupertate fœdus inijt, amoremq; contraxit, ut nihil, præter Dominum IESVM, uellet habere, nihil filias suas possidere permitteret, nil propter necessarium victum & vestitum à sororibus recipi, vel in posterum asseruari. Nequaquam caelestis desiderij margaritam, quam, uenditis omnibus, comparârat, arbitrabatur cum temporali, mordaci sollicitudine possidendâ. inculcat illud frequenti sermone suis sororibus, tunc acceptabile Deo illud fore collegium, cum paupertate fuerit opulentum: & tunc perpetuo stabile permansurum, si altissima paupertatis fuerit semper turre munitum. Hortatur eas in paupertatis nidulo Christo pauperi conformari, quem paupercula mater in arcto præsepio parvulum reclinauit. Hoc enim peculiari reconditorio quasi monili aureo suum subornabat pectus, ne terrenorum puluis ad interiora transferret. Volens denique religionem suam intitulare titulo paupertatis, à bona memoria Innocentie Tertio paupertatis priuilegium postulauit. *Quis*
rit

vir magnificus tanto Virginis feruori congra-
 lans singulare dicit esse propositū, quod numquā
 tale privilegium fuerit à Sede Apostolica postu-
 latum, & ut insolita petitioni fauor insolitus ar-
 rideret, Pontifex ipse, cum hilaritate magna,
 petiti privilegij primam notulam sua manu con-
 scripsit. Felicis recordationis Papa Gregorius,
 vir sicut Sede dignissimus, ita & meritis vena-
 randus, paterno affectu sanctam istam artem
 diligebat, cui cum suaderet, ut propter euentum
 temporum, & pericula saeculorum aliquas pos-
 sessiones assentiret habere, quas & ipse liberaliter
 offerebat, fortissimo animo resistit, & nullatenus
 acquieuit. Ad quam respondente Pontifice,
 si votum formidas, nos te a voto absoluissemus.
 Sancte pater, ait, nequaquam à Christi sequen-
 tia in perpetuum absolui desidero. Eleemosynarū
 fragmina, panumq; minutias, quas Eleemosy-
 narij deportabant, valde suscipiebat hilariter,
 & quasi moesta de panibus integris, valde exul-
 tabat in fragmentis. Quid multa? sat agebat
 pauperi Crucifixo paupertate perfectissima con-
 formari, ut nulla res peritura amanti ab ama-
 to secluderet, aut cursum eius cum domino im-
 pediret. Occurrunt ecce duo miranda, quae
 paupertatis amatrix meruit operari. Vnicuique
 erat in monasterio panis, cum iam instarent &
 fama,

fames, & hora edendi, dispensatrice vocata, iubet sancta panem diuidere, partemq; fratribus mittere, partem pro sororibus retinere. De quo retento dimidio iubet quinquaginta fieri, iuxta dominarum numerum, incisuras, & eis in mensa paupertatis apponere. Cui cum deuota filia responderet, necessaria hic fore antiqua Christi miracula, ut modicum panis 50 reciperet sectiones, respondit mater, & dixit: fac filia secura, quod dico. Properat filia matris implere mandata. Properat mater ad Christum suum pia, cum filiabus, destinare suspiria. Crescit diuino munere inter frangentis manus parua illa materia, & cuilibet de conuentu suo extitit portio copiosa. Die quodam Christi ancillis sic ex toto defecerat oleum, ut nullum adesset, saltem pro debilibus condimentum. Accepit Domina Clara vasculum vnum, & humilitatis magistra suis manibus lauat, ponit vas vacuum seorsim, unde frater Eleemosynarius illud accipiat, & vocatus est ipse frater, ut pro acquirendo oleo vadat. Accelerat deuotus frater, ut succurrat inopia tanta, & adsumendum vasculum currit. Non enim volentis est, neq; currentis, sed miserentis Dei. Etenim solo influente Deo, vas illud plenum oleo reperitur, praueniente S. Clara oratione fratris obsequium, in solamen pauperum

filiarum. At verò frater predictus, quasi frustra vocatus fuisset, submurmurans dixit: derisoriè me ista femina vocauerunt, cum ecce vultus plenum existat. Verùm non fuit ea derisio, benedictio diuina fuit, quæ ostendit, vltroque neam inopiam esse copiosam.

§. XIV.

S. Catharina filia S. Birgittæ honorata diuinitas paupertas,

His auditis, quis virginem hanc Clarissimam non vocet? claruit miraculis, & paupertate, quam virtutem, in quantum quilibet aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque virorum ac mulierum, in quibus luxit, ornamentum iudicat. Cui rei confirmanda Deus aliud prodigium ostendit. Sanctissima virgo pariter & vidua Catharina, filia S. Birgittæ, paupertatis & vestium vetustate fatifcentium, lectulique, quali vel egenissimi vtuntur, amans, à sponso Christo ita est condecorata. Cùm aliquando quadam nobiliores Romana matrona peterent à matre eius, ut permetteret ei, cum ipsis animi causa extra muros egredi, idque ob illarum infonem probitatem mater annueret, ubi ad vinearum macerias ventum fuit, videruntque matrona

Sur. 22.
Martij.
c. 11. & 12.

botras

botros ultra macerias propendere ; rogabant
S. Catharinam , ut illos botros ipsis decerperet.
Erat enim procera corporis statura , prater
alias egregias utriusque hominis dotes , qua eam
cunctis reddebant amabilem. Illa vero studio pau-
pertatis iam manicas habebat attritas , & con-
sutas , neq; verebatur , apud tantas matronas
vilis , & inops videri. Itaq; extendit brachia ut
unas carperet : & ecce matrona illa videre sibi vi-
se sunt brachia eius purpura magni pretij oper-
ta. Accedunt igitur , pra multa admiratione ,
tanguntq; singula , cernuntq; manicas insigni
purpura rutilantes , aiuntq; ad eam : Quis um-
quam crederet , domina Catharina , tanti pretij
vestibus uti te voluisse ? Ignorabant enim Christi
cohoneffasse sponsam suam. Testabatur hac fa-
milia , qua his interfuerat , itemq; sancta memo-
ria magister Petrus , eius confessorius. Decubuit
quandog; S. Virgo , petijtq; ab eius matre eam
inuisendi copiam quida nobilis Baro , Ludouicus
nomine. Erubuit vero familia quod vir tantus
ad eam in vili lectulo iacentem esset accessurus.
Erat is lectulus stramineus , ad caput cervical
exiguum : porro operimentu vetustum consum-
tum , ac nullius pane pretij. Sed Dominus I E-
SUS , qui sua inopia seruorum voluntariam
paupertatem maximè illustrem reddidit , non

defuit sponse sua. Cùm enim potens ille, & opulentus vir multis stipatus ad eam accessisset, videbatur ei lectulus illius aureo purpureo tectus operimento. Stupens igitur dixit famulis suis: *He domine pauperes ab omnibus putantur nam saepe obres necessarias emendas, pecuniam mutuò accipiunt. Præstaret, illas tanti pretii purpuram, tantumq; apparatus, quem illis vidimus, distrabere, quàm premi inopia.* Ita nimirum Deus pauperulae suæ inopiam vel honestare voluit, vel occultare, ut nova corona patientiæ ornaretur; dum Virgo vidua, in vili lectulo, immò stramine decumbens, in purpura iacere putaretur; & medulla humilitatis, pro superba habita, magis humiliaretur. Siquidem inter alias virtutes, quarum celebri opinione apud omnes mirificè redolebat, erga domesticos, & qui eam iniuria afficerent, S. Virgo egregiam semper animi patientiam declarabat. Accuratè enim secum perpendit, si quid à nobis bene gestum sit, id facile redigi in nihilum, si sit animus patientia destitutus. Ut igitur solent odores, tum latius spargi, cùm commouentur: ita hac S. Virgo, iniuriis & persecutionibus infestata, præcipuam exhibebat patientiata: haud aliter quam qui eam affecisset beneficio, diligens eos, à quibus offensa fuisset.

fuisse. Virum autem vera quis sit humilitate praditus, tum potest intelligi, si placide ferat iniuriam. Hæc humilitas à Deo etiam in hac vita fuit exaltata; in qua etiam patuit, quàm magna sit vilis vestimenti, & exigui lectuli voluntariè pauperum, in oculis Dei, pulchritudo; quidque in altera vita sperandum sit ijs, qui futura ita nôrunt sperare, vt præsentia possint spernere. Si enim tantus honor est belli, quanta erit gloria triumphum?

§. XV.

Pueri admirabilis amor paupertatis.

Sed à puero quoq; discamus contemptum pecuniarum, Nam vt etiam viri ab hac ætate audirent, picem tutiùs tangi, quàm monetam, complures de puero Toraltano scriptores meminerunt, præsertim autem Meyerus, in Annalibus Flandricis. Oppidum est quoddam Flandriæ, Thorouth dictum. In eo, circa Annum Seruatoris 1220. puer fuit, Achas nomine; honestis pariter & copiosis parentibus ortus; ætate quintum annum nondum excedebat, prudentia autem atque pietate, etiam quemuis ex adultioribus superabat. Nisi membrorum, & totius corporis exilitatem vidisses, puerum esse

Meyer. in
Annal.
Flandr.
An. 1220.
Thom.
Cantipr.
lib. 2.
Apum. c.
28. §. 2.
Molan. in
natal. SS.
Belgij,
die 11. Iu-
nij.

negasses, tanta erat in eo morum dignitas, Oculos incedentis modestia deorsum flectebat; manus sursum tollebat pietas orantis; pedes ambulantis matura gravitas, linguam loquentis ipsa Suada regebat; denique in toto vultu gratiæ videbantur habitare. Hic tantillus puer, quàm primùm in aspectum venit Fratrum minorum, cœpit igniculos persentiscere, Ordinis eius, quàm posset, imitandi. Quare non desijt ante parentes precibus, lachrymis, gemitu fatigare, quàm ab eis obtineret, vt simili amictu vestiretur. Annuerunt illi tandem, & puerile desiderium esse existimantes, cum tempore, putauerunt abiturum. Verùm longè aliter res accidit. Nam cum tempore desiderium creuit, immò & studium. Quod parentes, & vicini manifestis argumentis cognouerunt. Cœpit enim Ahas non iam habitum tantum, sed etiam reliquos eorum Religiosorum mores consuetudinesque ad amissim obseruare. Itaque & cucullatus procedebat, & nudis pedibus, quamuis frigus esset, & lumbos nodoso duroque fune stringebat. Sed, ante omnia, argentum & aurum maximopere fugiebat tangere. Diebus sollemnibus, vicinorum pueros vndiq; in plateis conuoc

conuocabat, inque eorum medio sedens, concionabatur, moresque singulorum examinabat accuratissime; si distorti essent, si pertinaces, si superbi, nimisque vestibus culti, aut inuerecundi, arguebat eos, propositis inferiorum supplicijs: si modesti, si ad pietatem proni, caelestem illis gloriam promittebat. Quin & orare docebat ignorantes, atque crucem formare, genuaque ad Deiparam salutandam flectere. Dum hæc talia publicè gereret, non rarò ipsi quoque senes cum filijs suis confluxerunt ad illum, mirificeque verbis & factis illius delectabantur. Quin adeò censuit officij sui esse, vbiq; causam Dei agere, vt ausus sit ipsos quoque suos parentes monere, si quando viderentur delinquere. Nam & patri temerè iuranti, aut iusto plus bibenti, aliudué indecens quiddam admittenti flens dicebat: *Pater charissime, numquid Presbyter noster, in Ecclesia dicit, quia qui talia agunt regnum Dei non possidebunt?* Matri, quodam festo die, cum Sidonium in morem vestes ostroque auroque rigentes gestaret, in templo, coram confidentibus, mœrens, & suspirijs intermixtis dixit: *Intuere, mater, intuere, & videas Dominum nostrum IESVM Christum nudum in*

cruce pendentem, Sanguine rubricatum, et
tute in contumeliam eius vestibus scarleticis
adornasti? Caue, mater, caue charissima,
ne pro rubore vestium pœnas ignis infernalis in-
curras. Hæc paruulus Franciscanus: nec si-
ne fructu. Mater enim quàm primùm do-
mum redijt, purpuram abiecit, neque am-
plius, vt eam rekumeret, potuit induci.
Hunc paupertatis amorem non tantùm in
suis, & maternis vestibus ostendit, sed ma-
ximè omnium in pecuniarum detestatione.
Diuerterant aliquando in paternam domũ
quidam Negotiatores. Ibi viderunt pufio-
nem cucullatum, nihil leue, aut puerile tra-
ctantem. Mirati in aliena ætate maturita-
tem, parentes eius interrogârunt, quid rei
id esset? Aiunt parentes, vnico alloquio
Fratrum minorum, puerum ita captum esse
amore Ordinis illius æmulandi, vt ex eo
tempore, numquã destiterit facere, quæ ab
illis fieri animaduertisset. Quin adeò in eo
vitæ instituto tenacem, vt pecuniam magis
horreret, quàm anguem attingere. Quod
postquam iocosi hospites intellexerunt,
nummum, clam puero, poculo, ex quo
bibebant, indidère; idque, quod vini in-
fundo supererat, iussère puerum ebibere.

Paret

Paret ille, sed exhausto vino, nummum reperit. Ibi, quasi cacodæmonem ipsum reperisset, ita horrendis modis cœpit exclamare, proiectoque in terram vase, oculos & manus in cælum tendens, atque vberrimè lachrymans dixit: *Tu nosti, Deus omnipotens, quòd inscius Ordinem meum violavi.* Optarem pari dolore affici multos, qui scientes volentesque ordinem suum violauerunt! Nam cum dicto Ahas toto vultu expalluit, omnibusque membris cœpit contremiscere; ac mox quasi ex tempore moriturus, redeunte sanguine copiosiore, tota rursus facie denigratus est. Territi sunt hospites, expauerunt parentes; Pater properè acciuit sacerdotem, qui puero absoluto manum imponens, dolorem mitigavit. Tantus erat horror pecuniæ tangendæ. Sed non ita diu postea superuixit: nondum enim expleto ætatis septennio, *consummatus in breui Sap. 4.* *expleuit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Eo sanctissimè defuncto, tunica, qua ægrotantis corpus tegebatur, repentè disparuit, à nullo postea vquam visa; quippe quam Angeli cum anima illius Deo præsen-

tauerunt. Inter alia mira, quæ mortem
eius sunt secuta, fuit, quòd parentes eius ita
commoti sint filij exemplo, vt & ipsi, spre-
tis rebus omnibus, mundo nuncium remi-
serint, & pater quidem in Ordinem Domi-
nicorum, mater autem Cistertiensium,
vno tempore, intrantes docuerint, virtu-
tem non tantùm à parentibus in filios, sed
etiam à filijs in parentes posse propagari.

§. XVI.

*Mechtildis & fratris eius, regia sobolis, admi-
randa studia paupertatis.*

Prætermisiss alijs numero carentibus,
agmen claudant, qui sanguine regio, ætate
iuuenili, virtute plus quàm heroica admo-
dum clari, meritò alios rapere possunt ad
imitationem, contemptumque diuitiarum,
& amorem paupertatis. Mechtildis filia
regis Scotiæ quatuor fratres numeravit, è
quibus vnus Dux, alter Comes, tertius Ar-
chiepiscopus, omnes diuitijs abundantes,
quibus tamen inopiam sponte anteposue-
runt. Nam Dux, Christi imitandi amore,
vxore relicta, spretisque Mundi illecebris,
pauperrimus exulauit. Comes sæculari
pompe vitam eremiticam prætulit. Archi-
episcopus, deposita mitra, atque regimine
abdi-

Bapt. Ful-
gos. lib. 4.
cap. 4. &
Thom.
Cantipr.
lib. 2.
Apum. c.
10. §. 3.
& seqq.

abdicato, in religionem Cisterciensem se abdidit, omnes pauperiem, quam alij fugiunt, sectantes. Quartus superfuit, natu minimus, nomine Alexander, sedecim annorum adolescens, hunc pater sceptro destinavit, regniq̄ue fecit successorem. Virgo viginti tunc annorum erat Mechtildis soror eius, quæ fratrem ita est affata. *Alexander, frater charissime, quid nunc ages? Fratres tui maiores natu mundum terramq̄ deseruerunt, ut calum acquirerent: regnum spreverunt mortale, ut regna perpetua possiderent. Tibi ergo soli regnum relictum est, pro quo es & caelestem gloriam, & animam perditurus. Bona indoles non indiget multis verbis. Dictum igitur hoc vnicū ita Alexandro adolescenti altè in pectus descendit, ut totus in lachrymas resolutus, videretur utiq; pluris facere regni caelestis, quàm terreni jacturam. Neq; distulit deliberationem, sed cum gemitu exclamans: *Heu, inquebat, soror, quid mihi prodest, si non tantum regnum, sed etiam uniuersum mundum lucrer, anima verò mea detrimentum patiar? Quid consilij mihi das? En paratum habes, quidquid suaseris, exequi, & facere, quidquid iusseris. Inter duo regna, unum breue est, alterum aeternum; unum**

mille

mille casibus obnoxium, alterum securum; inter
 duas coronas, una est spinis curisq; suffulta, al-
 tera sine solitudine amissionis. Video utran-
 que difficulter simul teneri; amens sum, si am-
 bigo, utra pra altera sit relinquenda. Iuniores
 me fratres mei natu maiores docuerunt, quid
 sit eligendum. Calum ipsi cum paupertate eleg-
 runt; ego cum terris & diuitijs infernum habi-
 bo? Itane ludemus, ut illi Prometheus, ego Epi-
 metheum agam? Non ita erit: omnia perdam,
 ne animam perdam. Duc, soror, quocumque
 vis. In ignotas terras si duxeris, ibo: si duxeris
 in seruitutē, ibo: ibo si duxeris in solitudinem:
 ibo, si duxeris in horridos montes: in Caucasum
 ibo, si duxeris, dummodo ad Deum ducas. Hac,
 & plura talia, quæ mentis calor suggestit,
 adolescens sorori respondit. Quæ fraterno
 consensu gauisa, mutatis vestibibus, ne no-
 scerentur, è paterna domo, comitante Ale-
 xandro, profugit, longeque, ne quæri pos-
 sent, recessit. Forte facinus, & rarum. Nam
 è regia domo, ad rusticos lares descende-
 runt puer & puella regia; & seruituti gra-
 uissimæ se ultro addixerunt, qui imperare
 potuissent. Ibi Alexander assuevit, illam
 manum, quæ sceptro destinata fuerat, vac-
 cis mulgendis admouere; factus casearius,

ex regnatore populorum. Quia tamen quò
temotiores essent à patria, eò se putarunt
fore tutiores, inde in Galliam profecti sunt,
delatique ad Fonij canobium, vbi Cisterci-
enses Religiosi Deum colunt. Ibi itidem
Alexander mulgendis vaccis se addixit,
caseisque figurandis. In qua re operam
suam ita Religiosis probavit, vti cum intra
claustrum reciperent, atque in eorum fra-
trum numerum ascriberent, quos *Conuersos*
vocant, eadem, quæ priùs, vilissima quæ-
que munia subiturum. Soror, quæ iam se-
cura in statione videbat fratrem suum esse,
ita eum allocuta est. Magna, ô frater, ob
diuitias, patriam, & parentes relictos,
præmia nos in cælo manent; sed ea miris-
modis cumulabimus, si etiam nos ipsos sepa-
remus, atque etiam hoc solatio, quod ex
mutuo aspectu, & conuersatione capimus,
ad tempus, priuemus, donec in cælo, cum
inennarrabili voluptate mentis, nos æter-
nùm intueamur. Deseramus ergo etiam flu-
xum hoc gaudium, cum spe retributionis,
quod sine mercede, & maiore cum luctu
mors auferet. Dicitur non potest, quantum
hic sermo certamen, in Alexandri animo
excitârit. Amabat sororem suam supra om-

ne crea-

ne creatum, quod amari potest. In illa habebat ducem, in illa magistram, in illa exemplum vitæ suæ. Hanc deserere, grauius ducebat omnibus, quæ hucusq; deseruerat. Sed tamen dux erat, cuius sequendum consilium; magistra erat, cui parendum; exemplum erat, cui nisi se accommodaret, videbat turpe esse, à femina in huius facinoris palæstra superari. Pudebat vinci, pigebat vincere. Ligabat hinc amor, inde pudor stimulabat. *Tu non poteris*, inquebat, *quæ ista? An verò ista in semet ipsa potest, ac non in Domino Deo suo?* Erubescibat igitur, & irascebatur sibi, & tamen ita commouebatur, vt fletu vberimè prorumpente, vel inuita carne; animo imperaret, sororiq; manus daret ac valediceret, iam totus sui, immo Dei. Ita duæ coniunctissimæ mentes à se, ad Christum discesserunt. Et Mechtildis quidem, nouem inde milliaribus abiit, ad villam, quæ Lapion appellatur. Quo in loco, non pauperrima tantùm erat, sed quoddam verissimum Archetypon paupertatis. Pro palatio, habitabat sub tecto ex asseribus tumultuariè constructo. Dixisses, auferem ibi, non hominem stabulari; ita humilia & angusta erant omnia, ac ventis per-

S. August.
lib. 8.
Confess.
c. 11.

tia. Neque rogata, neque coacta vel munus, vel stipem admittebat; solo manuum labore victitans, more eremicularum. Quin neque cum ceteris egenis, per æstatem, spicas colligere contendebat; sed ea dumtaxat collegit, quæ è diripientium manibus ceciderunt. Cùm dormiret, vix quidquam corpori substratum habebat, & quia defuit, quò caput reclinaret, membra omnia æquata iacebant. Neque tantùm prolixissimas preces ad Deum fundebat genibus callosis incumbens, sed ipsum quoque cibum potumque hoc situ capiebat. Denique inter orandum sæpenumero ita sensibus abrepta fuit, vt neque micantia celo fulgetra cerneret, neque tonitrua metuendum in modum boantia exaudiret. Ita cùm diu vitam traduxisset, tandem nouem annis ante obitum à militibus, qui eam in Scotia viderant, agnita in fugam se coniecisset, nisi vñ retenta fuisset, virgo ante, & post mortem miraculis clara. Quamquam tota illius vita fuit miraculosa. Certè prodigium fuit, puellam sanguinis regij, in gynæcéo delicatissimè educatam, tantam paupertatis amatricem esse potuisse. Quod prodigium etiam in fratre eius Alexandro eluxit. Nam
quis

quis fuerit ille bubsequa, illud quoque ma-
 nifestatum fuit, dolente licet ipso. Ven-
 tum exierat Dominus Hugo de Rumenni,
 vir primæ nobilitatis. Ibi aprum immani
 magnitudinis canes excitauerunt, cepe-
 runtque in campum prodire, eò, vbi Ale-
 xander armenta pascebat. Iam lassatus ap-
 stabat, iam præliabatur; & Hugo ex equo
 descendens, stricto mucrone aduolabat, le-
 thalem ei plagam impositurus; sed vbi eius
 truculentiam vidit, formidine horrescenti
 propius accedere non est ausus. Quod vbi
 de propinquo vidit Alexander, extemplo
 accurrit, extortoque è manibus eius ferro,
 magna generositate bestiam aggressus in-
 terfecit. Ea humi strata, Nobilis in oscula
 Fratris Alexandri ruit, eiusque animos ad-
 mirans dixit: Vndecumque veneris, neque
 vaccarum te custodem, neque in pago na-
 tum, aut rustici filium esse mihi vquam-
 persuadebis. Inde suspicio nata, inde mul-
 tiplices coniecturæ ortæ. Quæ Priori illius
 causam dederunt, eum postea morti pro-
 pinquū obtestandi, & obedientiæ vinculo
 constringendi, vt ediceret, vnde, & quis-
 nam esset. Hac vi adactus prodidit, scilicet
 Mechtildis de Lapione (quæ iam antea in-
 noque-

notuerat, vt dixi) germanum fratrem, regis autē Scotiæ filium esse. Tunc demum patuit, paupertatis amorem, auro, gazis, regnis esse potiozem. Tunc eum non iam Bootem, sed verum cælitum vniuersi nuncupauerunt. Quamprimùm enim ex vita excessit, omnes eum pro Sancto coluerunt. Inter quos monachus quidam præcordijs periculosè vlcerosus, ad tumulum eius sanitatem cùm flagitaret, tunc enim uerò apparuit, ad quas vlronei pauperes diuitias, & ad quantam in cælo gloriam euehantur. Nam ita precanti se se clarissima in luce, sole ipso splendentior præbuit visendum Alexander, duplici corona insignis, quarum vnā in capite, alteram in manu ferebat. Non potuit facere monachus, quin interrogaret, quid significaret geminata corona. Cui Alexander, Corona, aiebat, capiti meo imposita, coronam indicat, quam communem cum Sanctis accepi: altera corona, quam in manu gero, illam coronam gloriamque tibi ostendit, qua decoratus sum, ob regiam coronam, quam pro Christo deserui contempsique, ô quanto fœnore, quantaque compensatione! Hæc ceteris nuncia, vt discant me imitari, & terrenis

Dd cælestia

cælestia anteferre, qui ne putent, te somniasse, ecce, quod petieras, impetrasti. Ex hac hora enim sanus eris.

§. XVII.

Varijs modis homines imitari posse exempla pauperum Christi.

Dixit hæc Alexander, & qui sanitati fuerat restitutus, alijs narrauit: illi, qui eodem tempore se vixisse testantur, posteritati commendarunt, vt & exemplum & premium pretiumq; paupertatis à quatuor regijs prolibus disceremus. O quàm magna virtus est, posse coronas abijcere, sceptras contemnere, purpuras deponere, in cenobijs, inter infimos, inter pecudes laborare! Hi sunt, qui Mundo ignoti, Sanctis nobiles, Deo chari, de stabulis transeunt ad duplicem coronam, præ Principibus, præ Regibus, præ ipsis Imperatoribus in cælo triumphaturi. Liceat mihi igitur cum S. Hieronymo Lectorem alloqui ac dicere: *Sequitare vestigia eorum, quos sacerdotium & humiliores facit, & pauperes: aut si perfecta desideras: exi cum Abraham de patria & cognatione tua, & perge quò nescis. Si habes substantiam, vende & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es: nudum Christum nuda-*

S. Hieronym. ep. 4. ad Rusticum,

duo sequere. Durum, grande, difficile; sed magna sunt premia. Nemo putet se nimium dare, si vel regna det Deo; si enim Deo danda sunt, quæ Dei sunt; profectò corpus & anima, vita & mors, copia & inopia, honores & voluptates, denique omnia, quæ in mundo sunt, Deo danda offerendaq; sunt, quia omnia Dei sunt; siquidē *Dominus uersorum* est. Quod diligenter considerarunt Religiosi, qui, imitatione primorum Christianorum, quibus *erant omnia communia*, Euangelicam amplexi sunt paupertatem, eamque voto firmarunt, hoc ipso ditiores, quia pauperiores. Nam vnusquisque pro vno sibi proprio, conferendo illud in commune, in communi possidet omnia ceterorum. Quæ communio bonorum, nata est ex communiōe animorum, apud Apostolos; *vt qui eodem consortio religionis tenebantur*, ait S. Augustinus, *eodem consortio fruerentur & vita; vt quibus erat vna fides, esset vna substantia; quibus erat communis Christus, communis esset & sumtus. Non querit charitas quæ sua sunt.* Quidam eò vsque progrediuntur, vt nihil omnino, ne in communi quidem habere velint, sed viuere in diem mendicatò, Sed diuersa sunt dona spiritus,

Matth. 22. 21.

1. Reg. 2. 7.

Act. 4. 32.

August. serm. 27. de verb. Apostoli.

S. Augu-
stin. l. 6.
Confess.
cap. 14.

diuersæ vocationes, vti & diuersi fines, ac
diuersæ naturæ & vires. Non omnes possunt
esse Alexandri, aut Mechtildes. Apostolorum
exemplo patet, possessionem incommuni, nil
paupertati derogare. Quamquam neque hæc
quidem paupertas omnibus competit. Quod
S. Augustinus suo exemplo demonstrat. Narrat
enim, se ante conuersionem agitasse consilium,
cum socijs, de vita communi incunda, vt remoti
a turbis tranquillius viuerent; vt vnã, inquit,
rem familiarem conflarem ex omnibus; vt per
amicitiã sinceritatẽ non esset aliud huius,
& aliud illius, sed quod ex cunctis fieret
vnum, & vniuersum singulorum esset; & omnia
omnium. Et placuerat nobis, vt bini annis
tamquam magistratus omnia necessaria curarent,
ceteris quietis. Sed posteaquam cepit (Romanianus
vnus è socijs) cogitare, vtrum hoc muliercula
sincerent, quas & alij nostrum iam habebant,
& nos habere volebamus, totum illud pactum,
quod bene firmabamus, dissiluit in manibus,
atque confractum est. Inde ad suspiria &
gemitus conuertebamur, & gressum ad sequendas
latas, & tritas vias sæculi. Nimirum non omnium
est, etsi bona fortunæ velent deserere, etiam
deserere vxores. Quid ergo

ergo his faciendum? an amandæ diuitiæ, derestanda paupertas? nequaquam; cum tanta sint huius bona, vt etiam Ethnicorum plurimi eam ambierint. De quibus aliquid dicere, operæ pretium est.

C A P V T XVI.

Fuisse etiam, apud Ethnicos, amatores & laudatores paupertatis.

§. I.

Ad quam paupertatem Ethnici peruenierint?

Ethnici, quamquam ad perfectam Euangelij paupertatem, quæ inducit bonorum communionem, atque vnus Dei vitæque æternæ amore suscipitur, assurgere non potuerunt; ductu tamen naturæ adeò multa viderunt, vt pacis, boni publici & privati, ac Philosophandi, nonnulli etiam laudis causa, diuitias contemnerent, & sponte etiam pauperes esse mallent. Atque inter hos non Philosophi dumtaxat, sed etiam Principes fuerunt; illi enim vt sapientiæ, isti vt Reipublicæ gubernaculis tantò liberiore animo vacare possent, curas sollicitudinesque pecuniarum à se abdicarunt.